

de Scripturæ mente constat. Cur enim veritatem opponeremus veritati? Sed solummodo cùm vel de sensu Scripturæ, vel extra Scripturam de alicujus dogmatis dubitatur veritate. Et pag. 84. Falsum est, rectam manifestamque rationem esse principium peregrinum, & alienum in rebus divinis, quod hic affirmat Meisnerus, præsertim cùm quæritur, an aliquid Scriptura dicat, aut non dicat, ut hic fit. Ex quibus omnibus breviter colligimus hanc Socinianorum de Scripturæ intelligentiâ, & interpretatione Sententiam, nempe, Quæ ad salutem scitu necessaria sunt, tam clarè esse in S. Literis proposita, atque expressa, ut quilibet sanæ mentis, & à præjudiciis & affectibus liber, protinus ea intelligere possit; obscuriora autem, non quidem omnibus esse necessaria, attamen eorum mentem & sensum erui ac dijudicari posse ratione, hoc est, tam ipsâ animæ judicandi ac ratiocinandi facultate, quam ejusdem facultatis dictatis, placitis, atque inventis: & quidem expeditius, ac facilius, si gratia Spiritus S. superveniat, quamvis simpliciter necessaria non sit.

2. Arminiani autem hâc in re suam sententiam declarant in Confess. cap. I. & quidem de Intelligentiâ Sect. 14. De Interpretatione Sect. 16. De Intelligentiâ sic loquuntur. *Præterea eorundem Librorum (Sacrorum scil.) lices alicubi (præsertim indoctis & minus exercitatis) satis obscuri sint, tanta est claritas ac perspicuitas, in sensibus imprimis ad æternam salutem intellectu necessariis, ut omnes lectores, non docti tantum, sed & idiotæ (communi quidem sensu ac judicio prædicti) quantum satis est, mentem eorum assequi possint: modò præjudiciò, vanâ confidentiâ, aliisve pravis affectibus, sese occæcari non sinant: sed Scripturam hanc piè ac sedulò scrutentur, &c.* Atque hæc etiam pro suorum sententiâ agnoscit, ac tuetur Episcopius in Defensione Catechismi Remonstr. contra Heidan. pag. 32. ac insuper declarat in Disputat. 3. de Scripturæ perspicuitat. Thes. 3. *Ad hanc intelligentiam consequendam aliud necessarium non est, quam vis apprehendendi & percipiendi sensum illorum verborum, quæ clarè & significanter proponuntur, quæ vis naturalis est, & omnibus ratione præditis naturalis in omni statu. Unde nec quæsita multi tempore eruditio, nec operosa & elaborata consequentia, nec aliud ullum supernaturale lumen potentiae superinfusum, eamque elevans ad hanc intelligentiam eliciendam requiritur. Affectus enim intercurrentes, qui vim intelligendi obnubilare, & opprimere quandoque videntur, non ipsam intelligendi potentiam, sed voluntatem, vel intelligendi actum impedire dicendi sunt. De Interpretatione vero sic statuunt. Optima Scripturæ Interpretatio est ea, quæ sensum ejus nativum ac literalem, quam fidelissime exprimit, vel saltem quam proximè ad eum accedit: quippe qui solus verum & vivum Dei verbum est, ex puo veluti semine incorruotibili, ad spem vitæ æternæ regignimur. Sensum autem*

N

nati-